Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1009
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 14. p. 2. Sequuntur Ascetica breviora: 1) *Formula honeste uite*, perperam a *Bernardo Silvestri* ad *Claraevallensem* translata, et saepe nobis memorata: *Petis a me* &c. 2) continuo adscriptum, quod *Mauriani* T. *cit. col.* 799. adpellant *Arnulfi de Boeriis Speculum Monachorum*, quod nullo titulo, rubro incipit: *Si quis emendatioris uite desiderio tactus* &c. 3) *De quadruplici morte. De tribus viribus anime. De triplici extasi. De dilectione.* et plura similia iis, quae in *Libro Sententiarum* T. *cit. col.* 771. habentur, et si penitioris indagationis pretium esset, reperirentur in *Hugonis a S. Victore* Operibus.

CCCCXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 218. f. per duas columnas bene scriptus, coloribus illustratus, et prius, ut *fol.* 217. p. 2. notatur: *Monasterij sancte dorothee in wienna*, sequentia includit: I. *Incipit Liber primus exceptionum collectarum de diuersis opusculis beati Bernardi egregij abbatis Clareuallens.* Additur in margine: *editus ab episcopo Zenonen. petro;* nempe *Petro Rogerio*, qui ex Archiep. *Senonensi Clemens* VI. Pont. Max. fuit; sed reclamant Literatores pro *Guilelmo Tornacensi*, ut jam dixi *Vol.* I. P. 1. *col.* 1083. et repetam ad Codicem sequentem. In praesenti ante Prologum: R. 3012

Par est in verbis odoriferis id opus herbis.
Nempe gerit flores Bernhardi nobiliores.

Prologi initium dabo infra. Hunc excipit Index Capitum L. I. quod etiam per omnes X. Libros obtinet, et subjicitur:

Flagrat Bernhardus sacer in dictis quasi nardus,
Ex quibus hic tractus liber est in scripta redactus.

Lege *id odoriferis*, et *Fragrat.* *Fol.* 35. p. 2. monet in margine Miniator: *Hic deficiunt decem Capitula, que require in fine auctoritatum de beata virgine*, et reipsa ibi *fol.* 105. p. 2. comparent; pertinent vero ad L. V. inter C. XVII. et XXVIII. ut etiam Editio *Norimb. s. l. et a.* confirmat. Plura ad Codicem sequentem.

II. *fol.* 109. *Incipit liber florum collectus et concinatus de diuersis libris summi et imperialis doctoris Augustini.* Ante Prologum:

Prologus in verbis exhaustis fonte beato
Presulis aurelij salientis gurgite pleno
Sic Augustinum lector agnosce vocatum
Hunc dum sacra fides suscepit fonte renatum.